LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

QUAESTIONUM HOMERICARUM SPECIMEN.

SCRIPSIT ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA BEROLINENSI

UNA CUM SENTENTIIS APPOSITIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VIII. M. AUGUSTI A. MDCCCLXIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

GUSTAVUS LANGE

BRUNSVICENSIS

SEM. REG. PHIL. GOTTING. ET BEROL. SOD. ORD.

ADVERSARII ERUNT:

A. EBERHARD, PHIL. DR.
G. RADTKE, SEM. PHIL. SOD. ORD.
F. SCHNORR DE CAROLSFELD, PHIL. STUD.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

POST

MATRIMONIUM

PER V LUSTRA FELICITER ACTUM

DIE XXIIII M. MAI A. MDCCCLXIII

NUPTIAS

CONFIRMANTIBUS ET CELEBRANTIBUS

HAS

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

FILIUS.

I.

DE USU HOMERICO

RADICIS IK.

Ἃ γὰρ δεῖ μαθόντας ποιεῖν
ταῦτα ποιοῦντες μανθάνομεν.

ARISTOTELES.

Metricam versuum structuram utriusque carminis Homerici firmis et strictis legibus coercitam esse constat. Sicut metricae videntur prosodiacae leges disquirendae esse, quippe quae aptae sint ad artem criticam in restituendis et emendandis versibus bene exercendam. Quamobrem amplexus sum radicem graecae linguae *IK*, quae locis circa sexcentis et sexaginta in carminibus Homericis usurpata est, eiusque non solum prosodiam sed etiam formam notionem tempora alia examinavi.

Antiquissima lingua indogermana formavit radicem *vik*. Cuius radicis littera extrema, gutturalis *k*, transiit in sanscritum *k'*, *g'*, *ç*, *x*, *sh*; in graecum *κ*, in latinum *c*. Cum enim recte constitutum sit, priores fuisse litteras gutturales, posteriores, ex his ortas tanquam filias (cf. Bopp. grammat. compar. p. 20 et tabulae, quibus singuli soni comparantur, apud Pottium etym. forsch. I, 83. Schleicherum compend. d. indogerm. sprachen in fin. vol. I), sibilantes et palatales: saepius factum est, ut antiquissimae illius et communis stirpis indogermanae *k* non in sansc. gutturale *k*, sed in sibilans et pala-

tale *k'*, *g'*, *ç*, *x*, *sh*, in graec. *κ*, in latin. *c* transierit. (Schleicher. compend. d. indog. spr. p. 142 sq. 157 sq. 173 sq. 194 sq. 226. 236. 255 sq.)*

Exempla huius mutationis sunt:

Indog. rad. *dak* est sanscr. *daç* (scil. tempp. speciall. rad. *damç*) et *dax* (Bopp. glossar. sanscr. p. 161 sq.), graec. *ΔΑΚ*. Idg. *akva*, scr. *açva* (ibid. p. 23. Curtius grundz. d. et. I, 26), gr. *ἵκκο* (*ἵκFο***, *ἵππο*), lat. *equo*. Idg. √*drik*, scr. *dṛiç* (ib. p. 174. Curtius I, 104), gr. gunnat. *ΔΑΡΚ* (*δέρκομαι*, *δορκάς* metath. *δράκων*). Idg. √*dik*, scr. *diç* (ib. p. 169. ib. I, 105), gr. *ΔΙΚ*, gunn. *ΔΕΙΚ*, lat. *DIC* (*dico*, desider. *disco*, causat. *doceo*). Idg. √*vrik*, scr. *vṛik*, *vrix*, *vrik'*, *vrig'*, *vriç*, *vrish*, lat. *verg.* (ib. p. 329. 334); alia apud Boppium (grammat. compar. p. 20), Pottium (etym. forsch. I, 128 sq.) alios. Sic etiam rad. idg. *vik* transiit in scr. *vik'*, *vig'* (Bopp. gloss. sanscr. p. 318) et *viç* (ib. p. 324), in gr. *FIK*, in lat. *VIC*. Itaque graecum *FIK*, lat. *VIC*, respondet tertiae sanscritae radici *viç*, quae significat *intrare*, *considere* (Pott. I, 268. Bopp. gloss. p. 324. Benfey. wurzellex. I, 350. Schleicher. compend. 21. 256).

Prima enim huius radicis littera, semivocalis *v*, con-

*) Sic etiam factum est, ut in lingua latina et quae inde deductae sunt linguis romanensibus duplicem habeat sonum littera *c*, scil. ut hanc eandem consonantem pronuntiemus *z*, *ç*, *tsch*, si cum vocalibus *e*, *i*, *eu*, *ae*, *oe*, *y*; *k*, si cum *a*, *o*, *u*, *ai*, *au* et consonantibus conjuncta est; nisi omnino constaret, falso nos latinum *c* pronuntiare, scil. cum *k* confundere solere. Nam *c* consonans complectebatur olim sonos *k* et *g*. Cf. Corssen. ausspr. voc. u. bet. d. lat. spr. I, 16. 18 sqq. Schleicher. p. 220. Madv. lat. gr. § 8.

**) *F* signum digammatis.

spicitur in latino *v*, in graeco digammate, in quod saepissime scr. *v* transisse notum est. Quamobrem radicem *viç* cum graeco *ἴκω* comparantes principio verbum *ἴκω* digammate ornatum ideoque ***Fίκω*** pronuntiatum fuisse recte censuerunt Boppius (l. l.), Pottius (l. l.), Giesius (üb. d. aeol. dialect p. 291), Benfeyus (l. l.), G. Curtius (grundz. d. etym. I, 132; comparat enim *οἶκος* [*IK*] cum *veça* [*viç*]).

Primum laudabo nonnulla indicia antiquis scriptoribus desumta quibus digamma radicis *IK* demonstratur. Legitur apud Sapphonem (fragm. 110 Bergk.):

*Οὐκέτι **Fί**ξω, οὐκέτι **Fί**ξω προτί σ᾽ — ⏑ — —*

Sic enim scribendum esse recte censent Giesius (l. l.) et Schneidewinus (delect. poett. jambb. melicc. graecc. p. 312), quamquam Ahrens (de dial. aeol. § 4, 7, adn.) aliter censet, et Bergkius scripsit:

οὐκέτι σ᾽ ἥξω .... ὦ πάρθενε σ᾽ οὐκέθ᾽ ἥξω.

Praeterea Hesychius affert *γίξαι*,* explicans *χωρῆσαι*; si igitur *γίξαι*, ***Fί**ξαι*, i. e. *εἶξαι* habuit digamma, etiam ***Fί**κειν* habuerit necesse est, quippe quod ex eadem qua ***Fεί**κειν* stirpe indogermana *vik* ortum sit. Accedit quod ***ἄFι**κτος* (Hesych. *ἀπρόσιτος*), quam vocem Hermannus praeclara conjectura in hymn. in Merc. 346 pro corrupta codicum lectione *ὅδ᾽ ἐκτός* assecutus est, propter hiatum poscit digamma. Neque vero ad digamma rad. *IK* probandum afferri potest versus Homeri *ν* 213:

Ζεὺς σφέας τίσαιτο ἱκετήσιος, ὅστε καὶ ἄλλους,

quam antiquam lectionem recte jubet restitui Giesius

*) De huius *Γ* ab Hesychio pro *F* positi notione graphica aut phonetica cf. Curtius I, 172 sq.

(üb. d. aeol. dialect p. 289) et restituerunt omnes fere recentiores Homeri editores. Hiatus enim ille et productio brevis syllabae, quam fortasse miramur, non facta est, ut plerique v. c. Duentzer putant, per digamma, quod exciderit, sed per caesuram primariam, quae plane idem pluribus Homeri locis effecit, ut *E* 576, *Y* 259, *ι* 366, *ϰ* 322. Igitur admittendus est hoc loco et hiatus et productio brevis syllabae, neque recte fecerunt qui haec evitare studebant Zenodotus, qui conjecit *τίσασθαι* (Duentzer de Zenod. studd. homm. p. 80), nec Heynius, qui proposuit *σφείας τίσασθ'*, quod Wolfius quidem recepit. Bekker scripsit:

Ζεὺς σφεῖας τίσαιθ' ἱκετήσιος

quod ipse videtur addubitasse, cum in annotatione dicat: „*σφείας* et, quod praestat si *τίσαιτο* revoces, *σφεας*."

Certissime autem digamma rad. *IK* elucet e comparandis eis cognatarum linguarum vocibus, quae ab eadem radice deductae littera illa ornatae sunt; praecipuas ex his afferam: Idg. *vaikas*, scr. *véça-s* (Bopp. gloss. sanscr. p. 336), h. e. *id quod intratur* vel *locus quo quis consedit, sedes, domicilium*, nostrum: *wohnsitz*, specialiter dictum *domus*, gr. ***Foῖκο-ς*** (cf. ***ἄ-οικος***); ut ***Foῖδα*** ex *vêda*, √***Fιδ***, lat. *vid.*, goth. *vait*, germ. *wiss* (Bopp. grammat. crit. 1832. § 356. krit. sanscr. grammat. § 323); ut ***οἶ-μο-ς***, √*i*, ***εἶμι***; ***πέ-ποιθ-α***, √***πιθ***; ***λέ-λοιπ-α***, ***λοιπ-ό-ς***, √***λιπ***; ***ἔ-οικ-α*** pro ***FέFοικα***, √***Fικ***; ***Foῖνος***, germ. *win*, lat. *veinum*, *vînum*; ***λοιβ-ή***, ***λείβ-ω***, √***λιβ***; ***στοῖχ-ο-ς***, ***στείχω***, √***στιχ*** (Schleicher compend. p. 54. 22). Ab ***Foῖκος*** etiam deducendum est adi. ***ἀγρ-οῖκο-ς*** etc., h. e. is, *qui agrum intrat et in*

eo habitat ut colat; nam — cf. accentus *ἀγροῖκος*, non *ἄγρο-ικός* — si *ικος* in hoc adiectivo esset suffixum, formandum fuisset *ἄγρ-ικος*, quod nusquam invenitur nisi in corruptis nonnullis codicibus Theocriti (Id. XX [XXII], 36), Moschi (III [V], 13) pro *ἄγριος* (Pott. etym. forsch. I, 268. Benfey. wurzell. II, 351; scribitur etiam maxime apud atticos *ἄγροικος*, cf. Goettling. allg. lehre vom accent p. 321 sq.). Graecum *Foῖκος*, boeoticum *Fύκος*, *Fύκια* (Ahrens de dial. dor. 78. 81 sqq. Curtius I, 289), est latinum *vaikas*, *veikus*, *veicos*, *veicus*, tenuatum in *vicus*, ut *vinum*, *veinom*, *Foῖνος*; *divus*, *deivos*, *deus*, *Ζεὺς* (Bopp. gloss. sanscr. p. 336. 324. Corssen. ausspr. etc. I, 202. 206. 209 sq. 223. 225. Schleicher compend. p. 22. 35. 54. 98. 128. 256. Curtius I, 132). *Vicus* — *verbum* enim in latino sermone non amplius extat sed solum *substantivum* latiore sensu usurpatum — est: *complexus plurium domorum*, ital. *vico* et *vicolo* i. e. *angiportus*, nostrum *gasse*, tum *dorf*; inde etiam *vic-înu-s* (ut *divus*, *div-înu-s* [Curtius l. l.]), *vicinal* etc. Boppius (l. l.) etiam latinum *visc-us*, *viscer-a* huc pertinere dicit, quod, si verum est, explicandum esset *id quod intratum* s. *quod intus est* (cf. *Fέντερον*, *venter*) vel *quod* (in vacuum) *intravit*; notio huius desiderativi vocis *vicus*, quod formatum esset ut *disc-o* ab *dic-o* √*dic*, demonstrari haud facile poterit. Inde etiam in lingua gothica persica slavica polnica germanica aliis hanc vocem invenimus semper digammate ornatam. Dicunt viri docti (Pott. Bopp. Curtius Schleicher ll. ll.) *vicum* esse goth. *veihs* (cf. bulgar. *vis-i* = *praedium*, Schleicher p. 98) = *κωμή*, *ἀγρός*; slav. *wecj*, poln.

wies, lit. *vesz* (Schleicher p. 256); apparet etiam in vocabulo persico *der-wish,* h. e. is, qui mendicaturus *fores intrat* (der, door, thor, thür), pauper, mendicus, nostr. *thürsteher,* cf. graec. ἱκέτης, ἱκετεύειν, ἱκνέομαι (v. c. Ξ 260), ἱκάνομαι (Σ 457) eadem notione; in germanico *weich*-bild (*wich*-bild), quod nihil aliud est nisi *vici* vel *urbis conspectus*; cf. nostrum *stadtbann, bannkreis.** Num etiam linguae vernaculae verbum *wich, weichen,* vet. *wîcan* aliquo modo cognatum sit cum graeco *Fείκειν, Fίκειν, εἴκειν, ἴκειν* (Leo Meyer negat cf. Goetting. gel. anzeig. 1863, p. 151 sqq.), num adiectivum *weich* (id quod *weicht*? et *weich*-heit, ut lat. *mollis* ex *movilis, movere* (cf. Niebuhr, roem. gesch. I, 463), num corporis humani inguina *weichen,* quia molissima sunt et facillime cedunt, atque machinae illae *weichen,* in viis ferreis collocatae, quibus machina magna vaporibus acta cedit, huc pertineant, haec non audeo dirimere.

Ad postremum affero certissimum argumentum digammatis radici *IK* praefixi; creberrime enim obvenit

---

*) Vir doctus quidam mecum communicavit, hanc vocem principio non esse: *weich-bild* sed *weich-bill* (angl.), ita ut significaret *lex vici* i. e. *quatenus lex urbis pertineat.* Dubito an probandum sit. Quod vero Techenius nuper (cf. Kuhn, zeitschr. f. vergl. sprachf. 1862, p. 42 sqq.) de etymologia huius vocis protulit, scil. esse *wigbelde* nostrum: *kriegsbauwerk,* non videtur laudandum esse; explicuit enim ille exemplis allatis non etymon, sed posteriorem usum vocis *weichbild.* — Ceterum in documentis medii aevi usurpatur etiam adiect. *weichbildicus,* v. c. Lichtenstein, observationes de iure weichbildico saxonico ex documentt. etc. Helmst. 1749.

nobis haec radix *vik* in nominibus gentium et urbium germanarum et slavicarum. Primum extant in nonnullis urbibus angustae quaedam viae (ital. vicoli, calli), *wiek* appellatae et plerumque inter antiquissima urbium loca referendae, ut Brunsvigae (olim *Olde-wik, Altenwiegk,* nunc *alte wiek,* h. e. alt-stadt), Stettinae (*oberwiek* et *unter-wiek,* h. e. *ober-* et *unter-stadt*), alibi. Deinde nonnullae urbes hoc solo nomine *vicus, stadt,* vel *s'dorf* appellantur, v. c. Wieck, Wyk, Vic vel Vig, Putziger Wieck, Tromper Wieck, Viek, Los Vigos, Vico etc. (cf. Cannabich, lehrb. d. geograph. I, 698. 74. 190). Tum multarum urbium et hominum nomina hac radice incipiunt, scil. syllabis: *Wick-, Wich-, Wig-, Weick-, Weich-, Weig-, Wies-, Wieg-, Vis-, Wis-, Witz-, Vitz-* etc. Denique extant plurima nomina urbium indeque ad homines, gentes translata, quae in hanc radicem exeunt, scil. in syllabas: *wick* (War-wick, Rys-wick, East-wick), *wich* (Nor-wich, Green-wich, Woolwich, Sand-wich), *vich* (Vukalo-vich, Zepharo-vich), *vik* (Milles-vik, Wester-vik), *wig* (Coss-wig, Kett-wig, Schle-swig, h. e. oppidum ad flumen Schley situm, Lade-wig, cf. Laden-dorff), *vig* (Mad-vig, Grundt-vig), *wigk* (Dalwigk, cf. Dal-berg), *wyk* (Harder-wyk, Winters-wyk), *wicz* (Rodo-wicz, Karlo-wicz, Biele-wicz, Lo-wicz), *witsch* et *witzsch* (Water-witsch, Wolo-witsch, Ra-witsch, Tro-witzsch), *witz* (permultae, maxime in Polonia, Bohemia etc. ut: Haug-witz, Myslo-witz, Berne-witz, cf. Berns-torff, Barne-witz, cf. Barns-dorf, Rado-witz, Carlowitz, cf. Karl-stadt, Katto-witz, cf. Katten-stedt, Chattorum vicus, Denne-witz, Blase-witz, Mollwitz, cf. Moll-

storff, Ausch-witz, poln. Oswiecim, Oder-witz, Berg-witz, Schöne-witz, cf. Schöndorf, Nieder-witz, Pritt-witz), in *wis* (See-wis), inde in *vicz, vics, vitz, vis, viz, wiz, visch,* fortasse in *bitz, bitzsch, bis, big, bich* etc. in *wiek* (Bardo-wiek, Oster-wiek, Wrokla-wiek), *wiec* (Wongro-wiec, Lipo-wiec, Buko-wiec), *wice* (Maczie-wice, Sosno-wice, Skiernie-wice, Opato-wice), *bice, vici* (Mustero-vici, Vassoje-vici), *wies* (Stara-wies h. e. Alt-dorf, Nowa-wies h. e. Neu-dorf, cf. Nowawess; Wielka Wies etc.), *weig* (Gull-weig, Braun-sch-weig). Brunsvicensi mihi liceat, pauca de huius nominis etymologia addere. In chronicis Brunsvigae urbis nomen vario modo scribitur, nunc dicitur *Braun-sch-weig,* quod eodem modo corruptum est, quo via quaedam Halis Saxonum vocata: *Bruno-s-warte* in *Braune schwarte* cf. Schleicher in Prutz deutsch. museum 1861). Nomen *Braunschweig* nihil aliud est nisi *Brunonis vicus,* Brûnes wîc, Bruno's stadt* (cf. Havemann, gesch. der lande Braunschweig u. Lueneburg I, 360. 354. C. A. F. Mahn, etymol. untersuchungen üb. geogr. namen, liefer. 3. Berlin 1861). Bruno enim et Dankward duces, fratres Ottonis, dicuntur hanc urbem condidisse. Libenter igitur reiciamus explicationem Ribbentroppii (beschreibung der stadt Braunschweig. 1789. pag. XI), qui dicit *wiek* derivatum esse a *wigen* = *bellum gerere* et Brunsvigam significare *Brunonis locus firmus et munitus, unde quis*

*) Quamobrem satis perspicuum adiectivum formavit Eichstadius (opusc. oratorr. ed. Weissenborn. Jenae 1850. pag. 145): *Brunovicensis,* non *Brunsvicensis*; ibid. p. 152 vir doctus scripsit: *heroas Brunsviacos;* videtur igitur etiam a voce *via* derivasse.

sese defendere possit; itemque id, quod vulgo traditur, urbem illam nomen accepisse eo, quod Henricus Leo dux equum suum *fuscum* hinnientem allocutus esset: *Braun! schweig,* pro fabula habendum est); praeterea in syllabas: *weis* (Budweis), fortasse etiam in *beis, wess, wes, wetz, wez, weg, weck, wek* etc. In his omnibus videmus formas satis varias radicis *IK* digammate ornatas.

Itaque redeuntes ad id quod nobis proposuimus quamquam his nostris hucusque institutis quaestionibus de cognatione radicis *IK* cum aliis satis, opinor, edocti sumus, breviter examinemus etiam nonnullas alias de eadem re a quibusdam viris doctis prolatas sententias (de Leonis Meyeri sententia, ad rad. *FIK* etiam stirpem *ἰκ, εἰκ, ἔοικα* etc. pertinere, cf. Curtius, grundz. I, 227 sqq.). Doederlinius enim (Homer. glossar. III, 102 sqq.), qui in arte etymologica satis multa incredibilia protulit, dicit *ἱκέσθαι,* a rad. *FIK* derivatum, idem esse quod *ἕπεσθαι* (*ἕκειν, ἑκών*), lat. *sequi* etc. Jamdudum scimus, Doederlinii artificia etymologica „interna", utpote quae nil nisi sonum spectent, fugienda esse. Aeque ridiculum est quod profertur in Dam-Duncan. lex. hom. pind. (emend. Val. Rost. Lips. 1831. s. v. *ἴκω*), *ἴκω* esse transpositum *κίω*. Obsoleta haec scholiastarum et lexicographorum plerumque propria ratio artis etymologicae exercendae optime eo refellitur, quod constat, *κ-ίω* nihil aliud esse nisi *ἴω* (*εἶμι*) praefixo *κ,* ut *β-ιός* et *ἰός* (quod G. Curtius idem esse negat, cf. v. c. Hom. *O* 472), ut *λ-είβω* et *εἴβω, λαιψηρός* et *ἀιψηρός, μιῆς* et *ἰῆς, γ-αῖα* et *αἶα* (cf. v. c. *Γ* 243 sq.), ut *β-ία*

et ἴς (*vis*), σῦς et ὗς etc.* Cohaeret igitur κίω non cum ἴκω, √*viç*, sed cum ἴω. Boppius (gloss. sanscr. p. 119. 17) recte comparat cum scr. *k'-ay* scil. gunn. rad. *i* praeposito *k*, cf. lat. *c-ieo, c-io,* κινέω; etiam cum rad. *hi ire* (ibid. p. 400).

Cum igitur ex eis, quae disputavimus, satis manifestum factum sit, maxime varias formas rad. *FIK* in permultas linguas diffusas et ab antiquissimis usque ad nostra tempora servatas esse easque semper semivocali *v*, graeco digammate, ornatas: jam mirari aliquis potest, quod in carminibus Homericis, quae quidem antiquissima litterarum graecarum monumenta sint, nusquam inveniatur digamma huius radicis neque ab Immanuele Bekkero radici *FIK* appositum sit. Quod iure monitum et recte a viro doctissimo factum est. Accidit enim radici *FIK* quod multis aliis vocibus accidit, ut digamma primitivum quidem haberent sed iam antiquissima Homeri aetate amitterent, quoniam iste sonus tam mobilis et inconstans fuit, ut, prout leges metricae et rhythmicae aut requirerent aut negarent atque usus etiam cotidianus statueret, in eisdem saepe vel ab eadem stirpe formatis vocibus modo vere purus maneret modo in cognatam labialem *v* vel *b, p, f, m,* etiam in *g* etc. transiret, quin etiam usque ad spiritum asperum minueretur, donec sequentibus temporibus plane evanesceret.**

*) Cf. Curtius II, 67. Bekker, monatsber. d. Berl. akad. 1857. p. 178. — Curtius II, 8. 62. 165. — Alia vetusti huius digammatis vestigia affert Thierschius (griech. grammat. § 102, 6), Buttmannus (ausführl. sprachl. §. 6. anm. 6).

**) De hac sonorum imminutione extenuatione et debilita-

Nobis tantum quod ad nostrum propositum pertineat spectantibus verba quaedam afferenda videntur, quorum primitivum digamma iam Homeri aetate in spiritum asperum debilitatum fuit; v. c. *Fύδωϱ* (*Fύω*) (Hoffmann. quaestt. homerr. II, 3 sqq. Ahrens de dial. aeol. p. 29), apud Homerum *ὕδωϱ* (*ὕω*) (*Π* 385, *M* 25, *ξ* 457); scr. *vap* (*ap*) nostr. *web-en* (Bopp. gloss. scr. p. 309), hom. *ὑφ-αίνω* (v. c. *Z* 187, *H* 324); scr. *vas* (ibid. p. 312. Pott. etym. forsch. I, 279), gr. *Fεστία, Vesta,* hom. *ἱστίη* (v. c. *ξ* 159, *ϱ* 156, *τ* 304); scr. *bhandsh* s. *bhrandsh* (Bopp. p. 242. Pott. I, 235), lat. *frang,* gr. *Fραγ, Fρηγμίν,* hom. *ῥηγ, ῥηγμίν* (v. c. *Z* 6, *Λ* 538, *O* 615, *H* 141); gr. *ὄFις,* lat. *ovis,* hom. *ὄϊς* (cf. Leo Meyer, vergleichg der griech. u. lat. declinat. p. 6. 88. Curtius I, 147 sq.), *ὄϊες,* Aristarchus *ὀΐες* (v. c. *Ω* 125, *Γ* 198, *Σ* 529, *ι* 167. 441. 443 sqq., *Λ* 678. 696, *Ξ* 588 sqq.); gr. *Fυιός* (*Fύω, ὗω, φύω, fuo, filius* (Eustath. p. 1459, 49. Lobeck. pathol. prolegg. 234 sq., pathol. elementa I, 136), hom. *υἱός* (v. c. *Φ* 587, *E* 159, *B* 791); gr. *Fιόεις* a *Fίον, viola* (Corssen. ausspr. vocal. etc. I, 134), hom. *ἰόεις* (*ψ* 850); gr. *Fῆϱ, Fέαϱ,* lat. *ver* (ibid.), hom. *ἦρι, ἠϱιγένεια* (*I* 360, *ν* 156, *τ* 320); gr. rad. *FOP, Foϱάω* (cf. nostrum *gewahr-en, wahr-nehmen*), *Foῦϱος* (cf. nostrum *wart, wärt-er*), hom. *ὁϱάω, οὖϱος* (v. c. *Λ* 347, *K* 239, *Ω* 633, *Φ* 108, *Θ* 80, *Λ* 840, *O* 370. 659) (G. Curtius, philologie u. sprachwissensch. Leipz. 1862. pag. 16); rad. *sap* vel *sak,* gr. *Fεπ,* lat. *seq,* hom. *ἑπ* (v. c. *Π* 154 etc.)

tione cff. praeclarae Georgi Curti disquisitiones (grundz. der etym. II); alia apud grammaticos, Bekkerum Hoffmannum Ahrentem Corssenium alios.

(Curtius, grundz. d. etym. II, 117). Exempla digammatis in spiritum lenem diminuti cff. apud Curtium (ibid. I, 255). Sic etiam scr. *vic*, gr. *Fιx* iam Homeri aetate digammate privatum transiit in *ἵx*, spiritu aspero compensatum. Quamquam derivatae nonnullae ab eadem stirpe voces apud Homerum digamma retinuerunt ob eamque rem a Bekkero, quantum fieri potuit, hac littera ornatae sunt, v. c. *Foῖκος*: *O* 498, *Π* 595, *P* 738, *Σ* 60. 90, *Ψ* 229. 558. 592. 856, *Ω* 471. 581, *Foίκαδ' ἱκέσθαι Ω* 287 etc., *οἶκος*: *Ω* 572, *ν* 42 etc. (cf. Dawesii miscell. critt. ed. Th. Kidd. p. 281. 213). De versibus *φ* 211, *χ* 35 *οἴκαδ' ἱκέσθαι*, *ν* 121. 305 *οἴκαδ' ἰόντι* cf. Bekker (monatsber. d. Berl. akad. 1852. p. 338). Verbo *εἴκειν* ille dedit digamma. Ceterum eundem inconstantem usum digammatis conspicimus apud Homerum in pluribus vocibus: *Fάσιν* et *ἄσιν* (Schleicher, compend. p. 52. Curtius, grundz. II, 25), *Fίεσθαι* et *ἵεσθαι* (Curtius II, 178), *Fίς* et *ἵς*, *Fάναξ* (v. c. *B* 360) et *ἄναξ* (ξ 40), *Fειδῶς* (*Δ* 218) et *εἰδείης* (ε 206), *Fήρη* et *Ἥρη*, *FεFοικέναι* et *ἐFοικέναι*,* *Fίλιον* (*Φ* 81) et *Ἴλιον* (*Φ* 128) (Bekker, monatsber. d. Berl. akad. 1857. p. 178. Thiersch. griech. grammat. § 102, 6); satis enim constat, usum digammatis Homeri aetate inconstantem fuisse; quamobrem Bekker in editione Homeri digamma modo ponit modo omittit prout leges metricae aut admittant aut vetent (cf. Heyne, Homeri carmina etc. vol. VII. exc. III ad *T* p. 728 sq. Thiersch.,

*) Scripturam *FέFοικα* in Homeri carminibus G. Curtius nimis audacem esse putat nec satis fultam (grundz. d. etym. I, 227 sq.).

griech. grammat. § 152. 158 (ed. III), § 102, 6 (ed. IIII). Buttmann. ausführl. sprachl. § 6 anm. 6 p. 28 sq. Christ. griech. lautlehre p. 198—216 negat omnino digamma in carminibus Homericis adhibendum esse). Igitur digamma rad. *FIK* Homeri aetate iam extinctum et in spiritum asperum diminutum erat. Debile omnino digamma rad. *FIK* fuisse eiusque memoriam mox extinctam fuisse ex eo concludi potest, quod ab hac eadem radice *FIK* postea voces derivatae sunt, quae non solum digammate privatae sed quae ne spiritu aspero quidem, quo semper *ἵκω* eiusque tempora apud Homerum ceterosque scriptores graecos pronuntiata sunt, compensatae sunt. Formae Herodoteae *ἐπίκετο, ἀπίκαται* pro Homericis *ἐφίκετο* et *ἀφίκαται* vel *ἀφίχαται* (Buttmann. ausführl. griech. grammat. I, 440) ostendunt, in eadem dialecto ionica post nonnulla secula digamma sive in quem minutum erat spiritum asperum nullam vim amplius habuisse. Etiam in inscriptionibus et libris dialecti aeolicae indicia sunt et asperi et lenis spiritus v. c. marm. Cumae. 14: *ἐφίκοισιν*, Sapph. fr. 44, 6: *ἐφικέσθαι*; contra Sapph. fr. 26 *ἵκε* et 2, 8 pro antiqua lectione *ἐϑ᾽ ἥκει* post Toupium, qui in omnibus fere libris *εἴκει* legi affirmat, *ἐτ᾽ ἵκει* editum est. Cf. Theocr. id. 29 (23), 13 *ἀπίξεται*, quamquam quattuor Gaisfordi libri *ἀφίξεται* praebent.*

*) Memoratu saltem dignum videtur, vocem *Foῖκος* duplici forma in sermonem latinum receptam esse: 1. digammate servato, *vicus*; 2. digammate neglecto, *oecus* h. e. conclave magnificum in domibus Romanorum (cf. Vitruv. VI, 10. 5). Inde *oeconomos*, Mon-*oecus*, di-*oece*-se, *Oeko*-lampadius. Cf. *Foῖνος*: *vinum* et *oenum*, *vinetum* et *Oeno*-phytae.

Praeterea extant vocabula quaedam ab *ΙΚΩ* formata, quae nil nisi spiritum lenem retinuerunt. [Sequuntur disquisitiones de vocibus *ἴκταρ, ἰκτᾶ, ἴκμενος*].

Itaque praesens a rad. *ΙΚ* formatum *ἵκω* constat; occurrit autem interdum etiamnunc in Homeri editionibus altera praesentis forma illius simillima, *ἥκω*, de qua mihi videtur dicendum esse.

Iam de origine huius vocis dissentiunt: Schaefer (ad Dem. I p. 278n) necnon Matthiae (griech. grammat. p. 593; cf. Lobeck. rhemat. 65. Doederl. homer. glossar. III p. 104) suspicantur *ἥκω* ex verbi *ἵημι* perfecto obsoleto *ἧκα* (*εἷκα*) reflexum esse; Steph. (thes. ling. gr. s. v.), Dam-Dunc.-Rost. (lex. hom. pind. s. v.), Buttm. (ausf. griech. gr. II p. 155), Passow-Rost. (lex. s. v. *ἥκω*), Krueger (hom. forml. p. 65) aliique grammatici dicunt, *ἥκω* factum esse ex *ἵκω* vel *ἵκω* antiquum praesens esse pro *ἥκω*; et Buttmannus Eustathium ita explicat ut dicat, *ἵκω* et *ἥκω* revera unum et idem esse verbum, diversa dialecto affectum, ut *σκίπων* et *σκήπων*, et ita quidem, ut brevis syllaba stirpis, quemadmodum in aoristo *ἱκεῖν, ἱκέσθαι* appareat, in praesenti non per *ει* auctum sit, ut in *πείθω, πιθεῖν*, sed in *ῑ* vel *η̄* transierit, *ῑ̄κω* vel *η̄̄κω* pro *εἵκω*.* Facillima haec explicatio nil videtur esse nisi refugium scholiastae neque ullam prae se ferre speciem verisimilitudinis, quippe quod mutatio vocalis *ι* in *η* cur facta sit non intelligatur neque satis aptis exemplis probetur. Rectius igitur mihi videntur ei de origine vocis *ἥκω* iudicare, qui eam deducunt ex

*) Reperitur etiam passim in codd. *εἴκω* pro *ἵκω*, unde apud Hesych. *εἶκεν· ἦλθεν*, et *εἴκετο· ἦλθε, παρεγένετο*, necnon *εἴκεσθαι· παραγενέσθαι*.

lingua sanscrita; quamquam et hi dissentiunt. Pottius (etym. forsch. I, 268. II, 153), Benfeyus (griech. wurzell. I, 350) alii dicunt ἧκω formatum esse ex eadem radice qua ἵκω, *viç*, sed praefixo *ā*, ita ut ex *a* + *viç*, gr. ᾱ (η) + *Fικ* per contractionem et additum spiritum asperum factum sit ἧκω (ᾱ-ἵκω). Haec explicatio quamquam verisimilior eo tamen laborat, quod nimis artificiose excogitata est maximeque eo, quod notio perfecti, in usu formae ἧκω apertissima,* plane neglecta est. Itaque optime perfecti vim servasse et rectissime originem verbi ἧκω demonstrasse mihi videtur G. Curtius (grundz. d. etym. I, 51 sq.). Is enim ostendit, haud raro graecis radicibus consonantem κ additam esse, ut ὀλ-ε-κ, unde perf. ὀλ-ώλεκ-α formatum videtur, iuxta ὀλ; βα-κ (v. c. in βάκ-τρον, *bac-ulum*) iuxta βα (βῆ-ναι), scr. *gá*. ἑρυ-κ (ἐρύ-κ-ω) iuxta ἑρυ (ἐρύ-ω); idem illud augens et radicem amplificans κ apparet in ἧ-κ-ω (cf. perf. ἧ-κ-α); ἡ enim ortum est ex rad. ἑ, scr. *yá* (Bopp. gloss. sanscr. p. 277. Curtius I, p. 193) = *ire*, cuius semivoc. y transiit in spiritum asperum, ut scr. *yak'* in ἅζω, ἅγιος; scr. *yakṛit* in ἧπαρ, *jecur*; scr. *yas* in ὅς; scr. *yushmê* (dial. ved.) in ὑμεῖς; scr. *judhman* √*judh* in gr. ὑσμῖν, ὑσμῖνη (Bopp. p. 273 sq. Curtius I, 53); et ᾱ̆ in ἡ ut *yakṛit* in ἧπαρ, *jav-íja* in ἥβη, √βα in βῆ-σσα, βη-λός etc. (Curtius I, 163 sq.).

*) v. c. Hom. ν 325: οὐ γὰρ ὀίω-ἧκειν εἰς Ἰθάκην ἐυδείελον = non puto me *venisse*; tum apud tragicos (Aesch. Prom. 1. Ag. 249) et atticos (Plat. Protag. 310 *D*. sympos. 207 *C*. Apol. 25 *E*. Euthyd. 294 *E* etc.). — Doederlinius (hom. gloss. III, 103) dicit, ἧκειν esse synonymum cum perfecto ἵγμαι.

Iam difficilius est diudicatu de usu harum duarum idem fere significantium formarum *ἵκω* et *ἥκω* apud Homerum. Primum illud mihi videtur animadvertendum esse, non solum veteres grammaticos sed etiam antiquissimos iam poetas originem vocis *ἥκω*, quemadmodum nos linguae indolem indagantes demonstravimus, usu aut omnino ignorasse aut plane oblitos esse, ita ut perfecti vis, cum qua natum est *ἥκω*, ex arbitrio scriptorum hic remaneret illic evanesceret. A veteribus igitur *ἥκω* et *ἵκω*, praesens tempus utrumque, non distinguuntur sed usu cotidiano confluentes eadem significatione usurpantur. Itaque recte dicit Buttmannus (ausführl. gr. grammat. II, 155), *ἥκω* et *ἵκω* iam mox videri confusa; hoc enim apparet ex eo, quod ab *ἥκω* eadem fere tempora deducebantur quae ab *ἵκω* (impf. *ἧκον* et *ἵκον*, fut. *ἥξω* et *ἵξω*, *ἵξομαι*, aor. *ἧξα* et *ἶξα* (v. c. Qu. Smyrn. XII, 461. Anthol. VIII, 170, 6), et quod eis ipsis locis, quibus notio perfecti vel plusquamperfecti maxime necessaria et perspicua est, libri praebent *ἵκω*, v. c. Hom. *E* 478, *Σ* 292. 406, *β* 28, *ν* 248. 325, *σ* 353. Pind. Pyth. VI, 43 etc., immo, quibus simplex praesens vel imperfectum est, *ἥκω*, v. c. *Θ* 509, ubi Porphyrius *σέλας δ' εἰς οὐρανὸν ἥκῃ*. cf. Schol. *K* 418; *I* 525, ubi Apollonius Sophista *ἥκοι*, scholiorum lemma: *ἵκοι*. *B* 458 *ἧκεν* schol. *N* 837, saepius in Pindari libris. Quod cum constituimus, quaerendum nobis est, num etiam antiquissimi poetae *ἥκω* et *ἵκω* promiscue usurpaverint. Extant quidem apud Homerum nonnullae voces, quae eandem notionem, formam duplicem habent, ita ut quis arbitrari possit, etiam *ἵκω* et *ἥκω* idem signi-

ficare, dupliciter formari. Attamen eiusmodi voces semper ita distinguuntur, ut *vocalem* brevem et longam habeant, prout *syllaba* brevis et longa necessaria est, v. c. ἐν fit εἰν, ἐς — εἰς, ubi haec praepositio ante vocalem syllabam longam efficere debet (Bekker, monatsb. d. Berl. akad. 1860. p. 96), item ἴδω et εἴδω, ἵκελος et εἴκελος, ἕνεκα et εἵνεκα, ἰδέ et ἠδέ, ἐπίβολος et ἐπήβολος.* Hoc discrimen autem in vocibus ἥκω et ἵκω non fieri potest, quia utraque priorem syllabam semper habet longam.

Itaque aliam viam ingrediamur et examinemus quae veteres de discrimine verborum ἥκω et ἵκω tradiderint. Eustath. ad Hom. *A* 317 dicit: *Τὸ δὲ ἵκεν ἀντὶ τοῦ κατελάμβανεν ἀεὶ διὰ τοῦ ι παρὰ τῷ ποιητῇ γραφόμενον ἀπὸ τοῦ ἵκω, ἐξ οὗ καὶ τὸ ἱκάνω καὶ ἱκνῶ. δῆλον δὲ ὡς προῆν τὸ ἐν τῷ ι γραφόμενον ἵκω τοῦ παρὰ τοῖς ὕστερον διὰ τοῦ η. ἐφ' οἷς γέγονε σύμβασις τοῖς κριτικοῖς, ἵνα μὴ ἀμφιμάχοιντο, γράφεσθαι τοῦ ἵκω τὰ μὲν ἐνεργετικὰ διὰ τοῦ η, τὰ δὲ παθητικὰ διὰ τοῦ ι· καὶ οὕτω φυλάσσονται παρὰ τοῖς μεθ' Ὅμηρον ἄμφω αἱ γραφαί·* idem ad *β* 29: *ὅτι δὲ τὸ ἵκει ἀντὶ τοῦ ἔρχεται ἀεὶ ὁ ποιητὴς διὰ τοῦ ι γράφει, ἐξ οὗ καὶ τὸ ἱκάνω γίνεται, οὐκ ἐστιν ἀντειπεῖν· ἐπεὶ δὲ οἱ μεθ' Ὅμηρον διὰ τοῦ η ἔγραψαν αὐτό, ἔδοξε τοῖς μετ' αὐτοὺς, συμβῆναι εἰς τὸ τα μὲν ἐνεργετικὰ τοῦ ἥκω, ἐν τῷ η γράφεσθαι, τὰ δὲ παθητικὰ ἐν τῷ ἵκω.* Suid. s. v. ἥκω: *ἵκομαι δὲ παθητικὸν διὰ τοῦ ι.* Dicunt igitur ἵκω prius fuisse quam ἥκω, de utriusque usu certamen

*) Duentzer quidem nuper (Kuhn. zeitschr. für vergleich. sprachforsch. 1862. p. 1) dixit, ἐπήβολος non idem esse quod ἐπίβολος sed ab ἄβολος formatum.

fuisse, donec grammatici in unum convenissent, ut tempora obiectiva cum *η*, subiectiva cum *ι* scriberentur — sed „*παρὰ τοῖς μεϑ' Ὅμηρον*.“ Igitur apud poetas et scriptores eos qui post Homerum fuerunt duplicem scripturam *ἥκω* et *ἵκομαι* cum isto discrimine exhibeamus, apud Homerum ipsum autem semper *ἵκω* cum *ῑ* scribamus (cf. Eustath. ad *A* 610).

Apud Pindarum nonnullis locis libri praebent *ἥκω* pro *ἵκω*, viliores tamen; quinquies vero olim semper editum erat *ἥκειν*, donec Boeckhius ad Ol. IV, 11 nos edocuit, etiam illis quinque locis (Ol. IV, 11. XI, 66. 93. Pyth. IV, 126. VI, 43) optimos libros exhibere *ἵκειν*, igitur per universum Pindarum reponendum esse *ἵκειν* pro recentiorum voce *ἥκειν*, quae praeposterae criticorum debeatur diligentiae. Ceterum constat, *ἥκω* eiusque tempora, cum antiquior forma *ἵκω* iam evanuerit, postea a scriptoribus ionicis et atticis et a poetis atticis usurpata esse, et ita quidem, ut *ἥκω* significaret: *veni et adsum*, *ἱκάνω*, *ἀφικνοῦμαι* etc. magis universam notionem: *venio, advenio* obtinerent. Quae cum ita sint, videtur mihi consentaneum esse concludere, etiam in Homeri carminibus non duas idem significantes sine ullo prosodiae discrimine formas, sed unam tantum formam *ἵκω* locum habuisse itaque per totum Homerum reponendam esse. Ambigebatur enim inter *ἥκω* et *ἵκω* apud Hesiodum, ut videtur, nusquam, apud Pindarum Ol. IV, 10. XI, 66. 87. 93. Pyth. IV, 126. VI, 43. XI, 32, ubi nunc semper *ἵκω* legitur, apud Homerum olim his locis: *B* 458, *E* 478, *Θ* 192. 509, *I* 525, *Σ* 406, *T* 362, *β* 28, *ι* 20, *ν* 248, *ο* 329, *ϱ* 565; legebatur *ἥκω* ante

F. A. Wolfium: *E* 478, *Σ* 406, *ν* 325, *o* 329; restabat *ἥκω* post Wolfium: *E* 478 et *ν* 325; nostris temporibus Im. Bekker etiam has reliquias delevit et per universum Homerum recte reposuit *ἵκω*. [Agitur de notione vocis *ἵκω*.]

Nunc iam de eiusdem radicis prosodia disseramus. Plerumque annotant grammatici et lexicographi (Buttmann. gr. grammat. p. 256. ausführl. gr. II, 155. Krüger hom. forml. 36. 65. Pape, Rost. gr. lex. s. v. Steph. thes. s. v. Benfey. wurzellex. I, 350. Doederlein. hom. gloss. III, 102), apud Homerum *ἵκω* habere *ι* semper longum, recte quidem dicentes sed nescientes vel non respicientes locum, quo haec lex violata est; alii (Pape, Passow. [ed. I] s. v. Benfey. l. l.) dicunt, *ι* apud Pindarum *ἵκω* semper habere breve, quamquam contrarium rectius dixissent, alii alia. Sic nonnulla vitia apud Homerum Hesiodum Pindarum partim olim locum habebant partim etiamnunc habent ex ignorata vel neglecta huius vocis quantitate, quae maxime apud Homerum certis finibus circumscripta est.

Ac primum quidem in universum de huius radicis prosodia quaerentibus indolem eius prosodiacam recte nobis videtur Benfeyus (l. l.) intellexisse. Ut enim in lingua sanscrita radicis *viç* praesens et *vêç-ami* (cl. I) et *viç̆-ami* (cl. VI) flectebatur (Bopp. gloss. scr. p. 324): sic etiam in lingua graeca radix *IK* duplicem habet quantitatem: *ῑ̂κ* (vocalis producta respondet indico gunna) et *ῐ̆κ*. Ex hac duplici prosodia tempora radicis *IK* deducebantur, sed, quod maxime tenendum est, ita, ut unumquodque tempus alterutram prosodiam ut certam et firmam constanter servaret.

Quod ut verum esse demonstremus, iam nunc singula deinceps tempora ac modos, quae sunt in carminibus Homericis ab radice *IK* deducta, perlustremus.

I. PRAESENS.

1. Proxime ab radice *IK* deductum: *ἵκ-ω*; vocalem *ῑ* (scr. *ἑ.* cl. I) semper habet *longam: ἵκω*: Hom. *E* 478, *ϱ* 444. *ἵκεις*: Pind. Nem. V, 50. *ἵκει*: *Θ* 192, *K* 142, *Ξ* 60, *Σ* 292. 406, *β* 28, *ι* 20, *ν* 248, *ο* 329, *ϱ* 565, *σ* 353, *υ* 228. Pind. Ol. IV, 10. *παρίκει*: Pind. Pyth. VI, 43. *ἵκῃ*: *Θ* 509. *ἵκοι*: *I* 525, *P* 399, *ε* 189 (recte pro aliorum *ἵκοιτο*). *ἵκειν*: *ν* 325. *ἵκων*: Pind. Ol. V, 9. Pyth. XI, 32. *ἵκοντι*: Ol. XI, 87.

Idem praesens *correpto* *ῐ* legitur semel tantum in Homeri editionibus: *ἵκωμι I* 414, qui locus singularis accuratius mihi tractandus erit. Respondet Achilles Ulixi, Achaeorum legato, inter alia etiam haec:

εἰ μέν κ᾽ αὖθι μένων Τρώων πόλιν ἀμφιμάχωμαι,
ὤλετο μέν μοι νόστος, ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται·
εἰ δέ κε Φοίκαδ᾽ ἵκωμι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν,
ὤλετό μοι κλέος ἐσθλόν, ἐπὶ δηρὸν δέ μοι αἰών.

Horum tertio versu

εἰ δέ κε Φοίκαδ᾽ ἵκωμι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν

offendimur propterea quod unus omnium versuum Homericorum vocalem *ῐ* praesentis *ἵκω* habet *correptam.* *ῑ* praesentis *ἵκω* enim semper esse longum et loci illi quos adscripsi ostendunt et grammatici docent non solum recentes (cf. p. 23) sed etiam veteres, Eustath. ad Hom. *A* 317. 610, *β* 29: *ἵκω ἀεὶ διὰ τοῦ ῑ γραφόμενον,* quod alii mutaverunt in *ῑ̄*, igitur semper vocali longa.

Atque videtur mihi ex scholiastarum alto silentio, qui nihil ad hunc versum annotaverunt, concludi posse, Aristarcho Zenodoto Aristophani ceterisque Alexandrinis, res grammaticas prosodiacas accuratissime observantibus et tractantibus, nullam rem memorabilem dignamque notatu in hoc versu visam fuisse; unicum vero illud correptum *ι* certe inter maxime memorabilia numerandum est. Ut igitur unicam hanc exceptionem aut defendamus aut accusemus, primum videndum est, unde et quibus argumentis firmata haec forma *ἴκωμι* in Homeri editiones irrepserit.

Ante Barnesium olim semper in libris scripta erat Veneti lectio: *ἴκωμαι*; sic etiam apud Heynium; quae cum propter sequentem consonantem — de qua re infra plura dicemus — offenderet, mutata est ab Hugone Grotio (ad Stob. Floril. p. 170) in optativum *ἴκοιμι*, quem etiam, si Altero fidem habebimus, sine ulla discrepantia offerunt libri Vindobb. et alii; inde receperunt Barnesius Clarkius nec mutavit Wolfius edit. I. Postremo, cum terminatio coniunctivi: — *ωμι*, quae antea, in optativum — *οιμι* aliterve corrupta, ex Homero plane evanuerat, a grammaticis (etym. magn. s. v. *Ἄκτωρ. ἄγω βαρύτονον· ἐξ οὗ ἀγάγω, καὶ — ἐπὴν ἀγάγωμι πόλιν: — εἰς μι.* Eustath. ad Hom. *H* 243, *X* 450. Apollon. de coniunct. p. 516) servata erat, ab F. A. Wolfio verbis Homeri redderetur (Buttmann. ausführl. gr. grammat. I, 358 sq. Schaefer melet. p. 99) (ut *ἀγάγωμι Ω* 717 pro librr. *ἀγάγοιμι* et *ἀγάγωμαι* Hermann. de emend. rat. gr. grammat. p. 263; *κτείνωμι τ* 490 pro *κτείναιμι*; *εἴπωμι χ* 392 pro *εἴποιμι*; *ἐθέλωμι Λ* 549 pro

ἐθέλοιμι Hermann. opusc. II, 38, *I* 397 Aristarchus pro *ἐθέλοιμι*, *φ* 348; *τύχωμι* *H* 243, *χ* 7 pro *τύχοιμι* Eustath. p. 1279. 48; *ἴδωμι* *Σ* 63 pro *ἴδοιμι* vel *ἴδω τε*; *ἴδωμ' ὅτιν'* *X* 450 recte ab Hoffmanno emendatum est in *ἴδω τινα*), etiam nostro loco scriptum est: *ἴκωμι* et abhinc in omnibus fere Homeri editionibus legitur: apud Wolfium (edit. Lips. 1804) Spitznerum Dindorfium Faesium Koechlyum, etiam apud Im. Bekkerum; laudatur *ἴκωμι* a Stephano Godofredo Hermanno Kruegero Buttmanno aliis grammaticis (th. l. gr. s. v. — Herm. ad hymn. in Cer. 123. — Krüg. hom. forml. § 30, 1, 1. — Buttm. ausf. grammat. I, 358 sq.); itaque nunc liberum nobis datum est arbitrium unam harum trium lectionum: *ἵκωμαι, ἵκωμι, ἵκοιμι* eligendi. Ut eligamus, videamus quid nostro loco dicatur. Patet, hunc versum, quamquam in legatione ad Achillem missa extat, quam Lachmannus (betrachtg. üb. Hom. Ilias p. 26) pro serioris poetae imitatione habet, neque deesse nec propter hanc anomaliam pro malo et serioris poetae haberi posse,* sed et versum necessarium esse et coniunctivum propter oppositum: *εἰ μὲν — ἀμφιμάχωμαι.* Hoc omnes fere intellegentes recte reiecerunt optativum *ἵκοιμι* ut loci naturae non convenientem atque insuper eadem difficultate qua *ἵκωμι*, scil. correpto *ι*, laborantem; nec vero rectam elegerunt formam coniunctivi. Equidem enim negandum esse censeo, in eisdem carminibus, in quibus non solum ceteri huius praesentis modi sed ipse

*) *eici* enim ut aliorum scriptorum neque hic neque ullus omnino Homeri versus debet, vetantibus artis criticae legibus, ut nuper iudicavit Kirchhoffius in museo rhen. XV p. 83.

coniunctivus (*Θ* 509) semper longa vocali *ῑ* usurpati sunt, semel hanc vocalem sine ulla caussa corripi potuisse; quod postulatum omnes, qui contra leges prosodiacas *ἵκωμι* scripserunt, mihi videntur aut omnino non vidisse aut non curasse.* At sunt fortasse qui dicant, palimbachium, *ἵκωμι* — — ⏑, auctoritate poetarum in amphibrachyn ⏑ — ⏑ mutatum esse, quoniam palimbachius hexametro heroico repugnaret; his autem respiciendas commendo alias huiusmodi coniunctivi formas, quae eundem palimbachium efficiunt et saepius in carminibus Homericis usurpatae sunt; v. c. *κτείνωμι* (— — ⏑) *τ* 490. *εἴπωμι* *χ* 392, quibus locis olim optativi *κτείναιμι εἴποιμι* legebantur. Hi coniunctivi autem et ei, quos pag. 25 sq. adscripsi, eodem modo formati quo *ἵκωμι*, eo tantum distant ab illo, quod ipsi quidem omnes solitam suam quantitatem servent — legitur etiam *ἴδω* *X* 450. *ἴδωμι* *Σ* 63 et *ἴδωμαι* *Σ* 190, *Φ* 61 etc. Duentzer de Zenod. studd. homerr. p. 76 adn. 37 —, *ἵκωμι* unicus non servet.

Iam vero alii in quibus Passow-Rostius (s. v. *ἵκω*) et haud scio an recentiores editores Homeri hunc coniunctivum correpto *ῐ* ita sibi visi sunt bene tueri, ut dicerent, *ἵκωμι* non esse coniunctivum praesentis sed aoristi II. Aoristum II radicis *IK* breve habere *ι* affirmandum quidem est, aoristum II autem *ἷκον* omnino unquam et usquam extare, negandum. Apud Homerum ipsi illi negant huius aoristi vestigia superesse, sed affe-

*) Buttmannus certe nesciens sibi ipse contradicit, cum II, 155 doceat, praesens *ἵκω* utique habere *ῑ* longum, et I, 358, *ἵκωμι* (*I* 414) ab Aug. Wolfio recte esse restitutum dicat; de aoristo (*ἷκον*) enim nihil monet.

runt Pindarum, non quidem Ol. V, 9 nec Pyth. XI, 32, ubi codicum *ἱκών* iam correctum est in *ἵκων*, sed Pyth. II, 36: Ibi codd. praebent et vulgo legebatur:

ἔβαλον· ποτὶ καὶ τὸν ἵκοντ᾽· ἐπεὶ νεφέλᾳ παρελέξατο.

Quod cum idoneum sensum non fundat, emendationi locus datus est. Quamobrem a Jacobsio (animadvv. p. 289) inductus Beckius edidit:

ἔβαλον ποτὶ κοῖτον ἰκόντ᾽ ἐπεί etc.

quod Boeckhius reposuit „exemplo Beckii et Hermanni et subnixus Pyth. XI, 32.“ Haec lectio autem duplicem praebet difficultatem. Primum non puto Pindarum, cuius *ἐνάργεια* et *πυκνότης*, i. e. pressa et stricta breviloquentia, summis laudibus effertur, dixisse: *εὖναὶ* (*ἐς κακότατ᾽*) *ἔβαλον ποτὶ κοῖτον ἰκόντ᾽*: *lectus* (in perniciem) deiecit eum qui ad *cubile* venerat; hanc ob rem languidum illud *κοῖτον*, quamquam Boeckhius opinatur non posse incertum videri, apud Pindarum hoc loco non puto bene consistere posse. Deinde iam Heynius de aoristo *ἱκών* iure dubitabat, quem Boeckhius rectissime negavit apud ullum scriptorem graecum reperiri et hoc unico loco tantum eo posse quodammodo excusari, ut diceremus, eum in aliqua dialecto usitatum fuisse. Hoc reputans Boeckh. proposuit vel ut *ἰόντ᾽* ederetur vel ut praes. *ἵκοντ᾽* reduceretur postliminio. Sed etiam in hoc haesit vir doctissimus propter correptam priorem huius vocis syllabam, quae eo tantum excusari possit, quod in carmine hocce omnino multae sint selectae formae et a vulgari dialecto Pindari abhorrentes, quas ipse ad v. 14 enumerat, maxime correptum *ῐ* in *ἴοχέαιρα* v. 9 et *μητῐόνται* v. 92, addens tamen, in his vocibus vo-

calem ante vocalem faciliorem reddere correptionem. Si vero *ποτὶ κοῖτον* non bene ferri potest, ne *ἰκόντ'* sive *ἴκοντ'* sive *ἰόντ'* quidem ferri potest, nisi forte scribere volumus: *ἔβαλόν ποτε καὶ τὸν ἴκοντ'* (aor. II subi. *ἴκοντο*, *ι* correpto) et nimis artificiose explicare: lectus adulterinus in perniciem (eum) deiecit *et ad eum venit*; potest enim praepositio omitti cf. Nem. V, 50: *εἰ δὲ Θεμίστιον ἵκεις* et Hom. v. c. *P* 425, *Υ* 440, *Φ* 144, *Ψ* 339; quam languidam et inertem sententiam et quae fortissimum illud quod antecedit: *ἐς κακότατ' ἀθρόαν ἔβαλον* plane debilitet, Pindarum non puto composuisse. Atque etiamsi *ἰκοντ'* participium vel aor. II vel praes. esse posset et scriberetur:

ἔβαλόν ποτε καὶ τὸν ἴκονι'

deiecit lectus olim etiam eum qui venerat, facile intellegimus et voces *ποτὲ καὶ* superfluas esse vel sine caussa tanta vi positas — adulterio enim iam saepius pernicies adducta erat —, et sensum non idoneum neque Pindaro, poeta gravissimo, dignum. Ceterum ut meam de hoc versu sententiam proferam, reiecta easdem ob caussas ob quas *ἰκοντ* reieci coniectura Schneidewini: *ἔβαλόν ποτε καὶ τὸν ἑλόντ,* rectum et quod etiam Boeckhius, difficultatem non probati aoristi II vel correpti praesentis *ἴκοντ'* non ferens, postremum ceteris propositis lectionibus praetulisse videtur in explicationibus ad h. l., Bothium coniecisse arbitror, qui scripsit:

ἔβαλόν ποτε καὶ τὸν ἑκόντ'· ἐπεί etc.

Nam etsi Pindaro (fragm. 206) iudice *οὔτις ἑκὼν κακὸν εὕρετο,* de Ixione tamen hoc optime dici potest, qui Iovis dolis obstrictus cum nube libenter coivit non

agnoscens ἄϊδρις ἀνήρ Iunonem itaque ἑκών in perniciem deiectus est. Tum sensus evadit gravissimus et optimus: *Lectus adulterinus in perniciem magnam deiecit aliquando etiam* (ποτε καί) *volentem*, h. e. quamquam alias οὔτις ἑκὼν κακὸν εὕρετο, tamen aliquando (ποτέ), scil. Ixionem, etiam (καὶ) ἑκόντα fortuna (hoc loco εὐναὶ παράτροποι) deiecit, et sequentia illud ἑκόντ' aptissime explicant:

ἐπεὶ νεφέλᾳ παρελέξατο,
ψεῦδος γλυκὺ μεθέπων, ἄϊδρις ἀνήρ etc.

Itaque ex Pindaro non poterunt ullo artificio extorqueri nec aor. II ἶκον nec correptum praesens ἵκω; atque etiamsi potuissent, non tamen puto inde a Pindaro Homero ingerenda fuisse, praesertim cum nec apud Hesiodum nec apud ullum scriptorem graecum reperiantur.

Quae cum ita sint, recte mihi videor iudicare, si etiam Homerum, qui praesens semper habet longo ῑ formatum et aoristos alio modo format, has abnormes formas fecisse nego; igitur nostro loco Homerico illud ἵκωμι non est Homericum neque recte ab Augusto Wolfio ad normam ceterorum eiusmodi coniunctivorum in ωμι exeuntium factum, quamquam omnes post Wolfium editores Homeri difficultatem prosodiacam neglegentes ita scripserunt. Iam vero ut versum illum, de quo agimus, recte restituamus, nihil certe est simplicius quam ut scribamus id quod antea vulgo legebatur: ἵκωμαι, quae forma non solum est Homerica et usitatissima, sed etiam veterum grammaticorum aliorumque ad hunc ipsum versum testimoniis firmata. Primum ἵκωμαι

praebet cui summa tribuenda est auctoritas Venetus, cf. Schol., Bekker in annotationibus p. 464, Villoisonius, et ipse ego vidi anno 1861 Venetiis codicem Marcianum volvens. Alexandrinorum hanc fuisse lectionem ex eo sequi videtur, quod nihil ad hunc versum annotaverunt: de usitatissimo *ἵκωμαι* enim nihil eis erat dicendum, de insolentissimo *ἵκωμι* certe aliquid monuissent grammatici illi doctissimi. Deinde Eustathius ad hunc versum annotat haec: *λέγει γὰρ ἡ μήτηρ τῷ Ἀχιλλεῖ, διχθαδίας κῆρας ἤτοι διπλᾶς μοῖρας φερέμεν αὐτὸν θανάτοιο τέλοσδε. εἰ μὲν αὐτόθι, φησί, μένων Τρώων πόλιν ἀμφιμάχωμαι, ὤλετο μέν μοι νόστος ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται· εἰ δέ κεν οἴκαδε ἵκωμαι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν, ὤλετο μὲν κλέος ἐσθλόν, ἐπὶ δηρὸν δέ μοι αἰὼν ἔσσεται· ὅ περ ἐφερμηνεύων ἐπάγει.* Scripsit igitur quod nos volumus *ἵκωμαι* neque ei alia quaedam forma (*ἴκωμι*) obvenit, nihil enim de ea adscripsit; attamen Eustathii testimonio — legit etiam *φίλην* — non magna fides est tribuenda, quippe qui verba Homeri non poetico Homeri sed pedestri suo sermone reddere soleat, cf. etiam hoc loco Homeri versus non accurate relati: *εἰ μὲν αὐτόθι* pro *εἰ μέν κ᾽ αὖθι*, *οἴκαδε* pro *οἴκαδ᾽* etc. Sed maiore auctoritate gaudent alii scriptores graeci, qui hunc versum laudant. Apud Lucianum (Philopatr. LXXVII, 15) Triephon, ut Critiae Homerum appellasse fatum duplex et dubium ostendat, utitur toto nostro loco *I* 411—416:

Διχθαδίας Κῆρας φερέμεν θανάτοιο τέλοσδε·
εἰ μέν κ᾽ αὖθι μένων Τρώων πόλιν ἀμφιμάχωμαι,
ὤλετο μέν μοι νόστος ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται.

Εἰ δέ κεν οἴκαδ' ἵκωμαι,
ὤλετό μοι κλέος ἐσθλόν, ἐπὶ δηρὸν δέ μοι αἰὼν
ἔσσεται.

Lucianus quidem in laudandis versibus Homeri modo agit accuratissime, v. c. LXXVII, 14: *Π* 459 sqq. III, 17. XXX, 4. XXXIII, 8: *Π* 617 sq. XLIV, 6; modo satis neglegenter, verba mutans et versus decurtans, v. c. LXXVII, 14: *ψ* 314 sq.; sed cum Lucianus, ut scriptores illius aetatis solebant, certe non semper, ut poetarum versus citaret, eorum volumina volveret neque ex eis describeret, sed — quod ex eo modo quo versus laudat apparet — quantum et quale memoria tenebat referret: fortasse etiam LXXVII, 15 hemistichium tantum adiecit, quia post *ἵκωμαι* usitatissimum vocabulum *φίλην* non quadrare intellegeret neque aliud quod rectum et bonum esset statim reperiret. Ad postremum idem versus laudatur a Stobaeo, eclog. II p. 198 (ed. Canter.), p. 344 (ed. Heeren.):

Εἰ μέν κ' αὖθι μένων Τρώων πόλιν ἀμφιμάχωμαι,
Ὤλετο μέν μοι νόστος, ἀτὰρ κλέος ἄφθιτον ἔσται.
Εἰ δέ κεν οἴκαδ' ἵκωμαι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.

Haec exempla quae attuli et quae haud scio an augeri possint docent, Eustathium Lucianum Stobaeum legisse *ἵκωμαι*, Alexandrinos verisimiliter idem legisse.

Quamobrem cum *ἵκωμι* viderimus ferri non posse, nihil, opinor, impedit, quominus antiquam lectionem et bene firmatam restituamus et versum nostrum ita emendemus:

Εἰ δέ κε Fοίκαδ' ἵκωμαι . . . . . .

Iam vero si huic hemistichio annectimus quod ple-

rumque annectitur *φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν*, verba Homeri usitatissima: magna existit difficultas metrica correpta diphthongo *αι*. Longae quidem et acres de diphthongi correptione sequente consonante littera virorum doctorum fuere concertationes (Nans. ad Nonni paraphr., Casaubon. lection. theocrit. cap. XVIII, Salmas. ad aram Dosiadae p. 242, Bentley. in nota ad Callim. hymn. in Iov. 87, Iens. lection. lucian. II, 4, Ernest. in excurs. ad Callim. I, 260 sq., Blomfield. ad Callim. l. l., Heyn. ad Hom. I 414, vol. V p. 618 sq.). Proferebantur enim olim nonnulli loci, quibus diphthongus ante consonantem videbatur correpta, etiam Homerici, v. c. *I* 395, *η* 131 et *I* 414. Quos omnes accurate examinavit Blomfieldius (annott. ad Callim. hymn. in Iov. 87) ac fere omnes, mala plerumque codicum lectione nixos, et ipse et alios secutus emendavit, ita ut iam nunc nullus omnino videatur superesse locus, quo mirabilis ea legibusque metricis repugnans correptio diphthongi sequente consonante nec in secunda nec in tertia dactyli nec in secunda spondaei sede possit demonstrari.

Quod cum constet, ne nostro quidem loco illa lex metrica violari, igitur *ἵκωμαι φίλην* scribi non potest, quamquam Eustathium Stobaeum et omnes ante Barnesium haec lectio non videtur offendisse.

Cui difficultati olim succurrebant viri docti ut scriberent *ἵκοιμι*, quem optativum non modo non idoneum esse sed omnino propter violatam prosodiam ferri non posse vidimus. Quare Heynius, ut hunc locum sanaret, rectam viam mihi videtur ingressus esse eo quod, cum

ἵκωμαι necessarium esset, *φίλην* corruptum iudicavit. Iam antea Bentleyus (ad Callim. l. l.) coniecerat *ἵκωμαι ἐμήν*, laudante Blomfieldio (l. l.), vituperante Heynio (Hom. V p. 618). Liceat mihi hoc loco vituperationem Heynii vituperare. Vox *ἐμήν* propterea ei displicet, quia *langueat*. Haec satis mala est Homerum interpretandi ratio, qua omnino epitheta Homeri ornantia vel perpetua reicienda essent ut languida! Nam in his etiam pronomina *ἐμήν σήν Fήν* cum vocibus *πατρίδα γαῖαν* et similibus coniuncta numeranda sunt. Ex Homerico sermone *ἵκωμαι ἐμὴν ἐς πατρίδα γαῖαν* bene dici potest. Sed ipse Heynius aliud scribendum proposuit: *ἰών*, quod participium profecto saepius verbis *eundi veniendi* similibus additum per Homeri carmina occurrit; v. c. *ἵκωμαι ἰών X* 123. *ἰών — ἵκηται Φ* 522, *Σ* 207. *ἰών — ἵξεσθαι κ* 275 sq. *ἰών — ἔλθω X* 113. *ἵξον — ἰόντες Ψ* 38 (cf. Herod. VI 34: *ἰόντες — ἥισαν*), interdum sine ulla vi, ut *ξ* 153: *ἰών — ἵκηται*. cf. *κ* 100, *ι* 88, *I* 393. 421, *H* 46. 115, *Σ* 62. 443, *T* 288. 290, *Y* 176. 484, *Φ* 148, *Ω* 95, *ν* 121. 305, *φ* 211, *χ* 35.

Heynius quidem postea (ad *Σ* 63, vol. VII p. 437) hanc suam coniecturam reiciens legendum esse censet *ἵκοιμι*, quod nos ferri non posse intelleximus; ego vero retineo praeclarum illud *ἰών*, quod, quamquam etiam *ἐμήν* dici posset, tamen nescio qua caussa ut magis Homericae rationi dicendi conveniens magis mihi arridet, ita ut versum nostrum ita restituendum esse censeam: *εἰ δέ κε Foίκαδ' ἵκωμαι ἰὼν ἐς πατρίδα γαῖαν*. cf. Plat. symp. p. VII E. Sic etiam participium *ἰών* bene opponitur participio *μένων* quod antecedit v. 412; haec

duo verba enim saepe in Homeri carminibus opponuntur; cf. *Π* 838 de Achille dicit Hector Patroclo:

Ἀχιλλεύς
ὅς πού τοι μάλα πολλὰ μένων ἐπετέλλετ' ἰόντι.

cf. *Σ* 62, *Χ* 383 sq., *Α* 492.

Cavendum autem est, ne cum Heynio putemus „excidisse *ἰών* et mox animadverso vitio substitutum esse ab aliquo ex vv. 428. 691 et ex perpetuo poetae usu *φίλην*"; neque ita iudicandum est ut dicamus, voci *ἰών* hoc loco praeferendam esse *ἐμήν*, utpote ductui literarum vocis *φίλην* similiorem. Ita enim ad amussim ut aliorum scriptorum Homeri corruptelae quemadmodum ortae sint non possunt demonstrari; sed in eo nobis erit acquiescendum, ut, cum rhapsodi ad talem sententiam usitatissimam exprimendam voces *ἐμήν φίλην ἰών* in relatione publica arbitrio suo variarent, aliquo modo factum esse dicamus, ut pro *ἰών* hoc loco in nostris quae extant manuscriptis legatur *φίλην*.

Iam pergamus cetera tempora, quae a radice *IK* deducta sunt, breviter examinare:

2. Ab rad. *IK* secundum VIIII scr. cl. (*vic-nî-mi*) formatur graecum praesens: *ἵκ-νέ-ο-μαι*, ut *πιτ-νέ-ω* a *πέτω, πίπτω*; *οἰχ-νέ-ω* ab *οἴχ-ο-μαι*; *ἰσχ-νέ-ο-μαι* ab *ἴσχ-ω* (Buttm. ausführl. grammat. II, 40). *Ἱκνέομαι* ionice contrahitur in *ἵκνεῦμαι*, qua forma hoc praesens semel apud Homerum legitur scil. participium *ἱκνεύμεναι*: *ι* 128. Recte docent grammatici et lexicographi, iota hoc praesens habere per se correptum; nam poetae post Homerum neglecta positione semper usurpant *ἵκνεῖσθαι* correpto *ι*, neque Homerum puto a regula

recessisse, sed illo loco iota natura breve per arsin produxisse.

3. Tertium praesens a √*IK* formatur: *ἰκ-άν-ω* (scr. cl. VIIII), deleta nasali pro *ἰγκ-άν-ω*; cf. Eustath. ad *ε* 84: *ἀδ· ἀνδ-άν-ω, λαβ· λαμβ-άν-ω, δακ· δαγκ-άν-ω, μαθ· μανθ-άν-ω, λαχ· λαγχ-άν-ω, φυγ· φυγγ-άν-ω, ἐρυγ· ἐρυγγ-άν-ω, ἅμαρτ· ἁμαρτ-άν-ω, λαθ· λανθ-άν-ω, πυθ· πυνθ-άν-ο-μαι, χαδ· χανδ-άν-ω, τυχ· τυγχ-άν-ω* (Buttm. mittl. gr. grammat. § 112, 11 alia exempla affert); *κίχω: κιγχ-άν-ω, κιχ-άν-ω,* sic *ἵκω: ἰγκ-άν-ω, ἰκ-άν-ω.* Verbum *ἱκάνω* (scr. cl. VI) iota semper habet breve, alpha semper longum. Eustath. ad *A* 254: *τὸ δὲ ἱκάνω ἀεὶ παρὰ τῷ ποιητῇ ἐκτείνει τὴν παραλήγουσαν,* ad *A* 610: *τὸ ἱκάνει ἐκτείνει τὴν παραλήγουσαν,* ad *Γ* 145: *τὸ ἱκάνω ἐκτείνει Ὁμηρικῶς ἀεὶ τὸ ᾱ,* ad *ν* 228: *κιχάνω καὶ ἱκάνω ἐκτείνουσι κἀνταῦθα τὸ ἐν τῇ παραληγούσῃ δίχρονον.* Buttmannus (ausführl. gr. grammat. II, 37 sq.) recte observavit, cum terminationes verbales *ἰνω* et *ὑνω* vocalem semper longam (v. c. *ὀρ-ίν-ω, βραδ-ύν-ω*), *ἄνω* semper brevem habeat, tria verba epica ab hac regula recedere: *φθᾰ́νω, κιχᾰ́νω* et *ἱκᾰ́νω,* quae *ᾰ́* longum habeant; ex his *φθάνω* et *κιχάνω* ab atticis quidem scriptoribus brevi *ᾰ* usurpari, *ἱκάνω* autem, *ᾱ* semper longo, re vera analogiam relinquere. Quae anomalia, ut Buttmannus ipse addit, eo explicanda est, quod prima vocalis stirpis in aliis huiusmodi verbis, ut in *λᾱνθάνω λῆθάνω* etc., longa, in verbo *ἵκάνω* (scr. cl. VI) brevis est. Nec vero iure miratur Eustathius, quod adiect. *ἱκαν-ός* tribrachyn efficiat, non, quamquam ab *ἱκάνω* (⏑ – –) derivatum sit, amphi-

brachyn; narrat de hac anomalia grammaticos inter se certasse, ad *A* 254: *Τὸ δέ γε ἱκανώτατος ἀπὸ τοῦ ἱκάνω γενόμενον ἀμφιβόλως ἔσχεν, εἴτε διὰ τοῦ ω̄ μεγάλου γραφήσεται, ὅπερ καὶ μάλιστα τοῖς πλείοσιν ἔδοξεν, εἴτε καὶ διὰ τοῦ ὄ μικροῦ. ἐζυγομάχησαν γὰρ καὶ εἰς τοῦτό τινες.* ad *Γ* 145: *ὅθεν καὶ συστέλλειν ἐθέλουσί τινες, εἰ καὶ μὴ εἰσακούονται, τὴν προπαραλήγουσαν τοῦ ἱκανώτατος, ὡς ἀπὸ τοῦ ἱκάνω.* ad *ν* 228: *ἀμφιβολία τῆς προπαραληγούσης τοῦ ἱκανότατος.* Intellegimus Eustathium et grammaticos in eo errasse, quod *ἱκανός* deducerent ab *ἱκάνω*; nos enim haud ignoramus continuo deductum esse a rad. *IK*, affixa terminatione adiectivi: *ἄνος*, quae brevem habet sonum: *ἰκ-ἄνός*, ut *δαπ-ἄνός* etc. Apud Homerum hoc adiectivum non invenitur nec apud Hesiodum neque Pindarum, sed apud tragicos et scriptores pedestris orationis. Usurpantur obiectiv. *ἱκάνω* et subiectiv. *ἱκάνομαι* et significant: *venio* et *supplico*. Eustath. ad *Σ* 452: *τὸ δὲ ἱκάνομαι ταὐτόν ἐστι τῷ ἱκετεύω.* ad *γ* 92: *ἱκάνομαι, ὅ ἐστιν, ἵκω. ἱκετεύω δηλαδή.* Hesych. *ἱκάνομαι· ἱκετεύω. ἀφῖγμαι.* Legitur hoc praesens apud Homerum his locis: *ἱκάνω:* *Ξ* 309, *Ω* 172. 501, *ε* 445. 449, *ζ* 119, *η* 24. 147, *ν* 200. 231. 328, *ο* 492, *π* 31, *τ* 407, *φ* 209. hymn. III, 191. *ἀφικάνω:* *ξ* 159, *ϱ* 156, *τ* 304, *υ* 231. *ἱκάνεις:* *Ξ* 298, *Σ* 385. 424, *ζ* 191, *κ* 75, *λ* 160, *σ* 217, *ω* 281. 328. hymn. III, 262. IV, 92. 147. *ἀφικάνεις:* *Ξ* 43. *ἱκάνει:* *A* 254, *Γ* 97, *H* 124, *Θ* 147, *K* 96, *Λ* 117, *N* 464, *O* 208. 245, *Π* 52. 516, *T* 307, *α* 409, *β* 41, *ε* 289, *ζ* 169. 206, *ι* 507, *λ* 196, *μ* 73, *ν* 172, *σ* 81. 274, *τ* 108. 532. *ἱκάνετον:* *I* 197. *ἱκάνοι:* *A* 610, *Σ* 465, *ι* 333.

τ 49. ἱκανέμεν: δ 29. 139. ἱκάνομαι: Σ 457, γ 92, δ 322. ἱκάνεται: Κ 118, Λ 610, ψ 7. 27. 36. 108.

[In sequentibus disputatur de prosodia ceterorum temporum quae ab rad. *IK* deducta sunt; ad postremum congeruntur omnes loci quibus haec tempora apud Homerum leguntur.]

Alteram quaestionem, quam institui de Iliadis carminibus quae *ΤΕΙΧΟΣΚΟΠΙΑ* et *ΟΡΚΙΑ* dicuntur, typis describendam non curavi.

VITA.

Natus sum Guilelmus Iosephus Iulius Gustavus Lange a. d. IIII Non. Mart. a. 1839 Blancoburgi, oppido ad radices Meliboci montis sito, patre Gustavo qui est gymnasii praeceptor primarius, matre Elisabetha e gente Manouvrier, quibus superstitibus laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in ludo urbano, auspiciis Froelingii, imbutus postquam gymnasium Rudolpheum, quod Muellero et Schuettio directoribus florebat, per VIII annos frequentavi, maturitatis testimonio instructus a. 1858 Gottingam profectus sum. Ibi prorectore magnifico Waitzio in numerum civium academicorum receptus per biennium professoribus usus sum illustrissimis hisce: Ernesto Curtio Ewaldo Sauppio Leutschio Rittero Waitzio Dornero; seminarii philologici exercitationibus per biennium interfui, per tria semestria sodalis ordinarius. Etiam Curtii exercitationes historicas frequentavi. A. 1860 Berolinum veni et rectore magnifico Augusto Boeckhio, decano ordinis philosophorum spectatissimo Trendelenburgio civibus academicis adscriptus sum. In hac alma litterarum academia per annum audivi viros illustrissimos Boeckhium Hauptium Trendelenburgium Weberum Friederichsium Guhlium; praeterea exercitationibus philosophis quas Trendelenburgius moderabatur et archaeologicis Gerhardo duce institutis interfui; neque minus contigit ut inter sodales seminarii philologici ordinarios reciperer. Quibus viris omnibus ut summa cum benevolentia et humanitate me adiuverunt gratias ago quam maximas. — Inde ab anno 1861 usque ad a. 1863 Vimariae puerum mihi carissimum privatim institui atque erudivi; quo munere functus denuo Berolinum me contuli.

3 0112 126255105

SENTENTIAE.

I. Ionum sedes antiquissimas recte indagavit Ernestus Curtius.

II. Collegium ephororum Atheniensium institutum est vere a. 404. (Cff. Iahn. ann. 1863 p. 217 sqq.)

III. Tabulae iliacae fragm. Veron. (C. I. 6126) linea *Γ* videtur exhibere colloquium Priami cum Idaeo (Hom. *Γ* 247 sqq.).

IIII. Plin. N. H. XXXV, 144 scribendum videtur *Theodorus* pro Silligii *Theorus*.

V. Musarum invocationes, quibus rhapsodi singula Iliadis carmina incipere solebant, a Pisistratidis maximam partem remotae sunt.

VI. *ΤΕΙΧΟΣΚΟΠΙΑ* (Hom. *Γ* 121—244) et *ΕΠΙΠΩΛΗΣΙΣ* (Hom. *Δ* 223—421) in *uno* carmine coniungi non possunt.

VII. Eur. Bacch. 658 sic scribendum esse censeo:

ἦκεις δὲ ποῖον προςτιθεὶς σπουδῇ λόγον;

VIII. Tac. Agr. 36 verba *parva scuta et enormes gladios gerentibus* Tacito abiudicanda sunt.

VIIII. Hor. serm. II, 5, 103 cum Hauptio scribendum *inlacrima. e re est*; libri *inlacrimare; est.*

X. Cartesius in eo erravit quod, quamquam substantiam extensam et substantiam cogitantem nihil inter se commune habere dixit, tamen eas conciliare conatus est.